



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. I. Vtrùm angeli in via, & Adam in paradiso habuerint fidem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

qui caritate carent faciliè etiam amittunt fidem. Secundò, quia hi perdunt statim fidem, quoad finem, & fructum ipsum fidei, atque ita fides non manet in ijs perfecta, & quoad externam apparentiam omnino perit iuxta dicta n. 40. Et simili etiam modo posset prior locus intelligi. Similiter etiam intelligendus est locus allatus ex D. Gregorio, ut vel ex ipsius verbis patet. & simili ratione intelligendus Beda. Ad locum autem S. Iacobi, & aliorum Patrum, comparantium fidem peccatorum cum fide demonum, Respondeo eos utramque fidem solùm in eo comparare, quòd utraque sterilis & infructuosa sit, ac quamdiu manet talis, sit inutilis ad salutem; licet quoad essentialia vna ab altera plurimùm distinguatur. Qua ratione autem argumentum D. Iacobi eo loco vim suam habeat, etsi in demonibus non sit vera fides, dicam disp. 17. dub. 2.

44 **CONCLUSIO III.** Fides informis & formata est idem numero habitus. Est iam communis, & sequitur ex prima concl. Quia cum caritas solùm extrinsecè & secundùm rationem moralem informet fidem; hæc ab ea secundùm suum esse physicum non pendet, nec ea abecedente intrinsecè mutatur. Confirmatur: quia Tridentinum sess. 6. can. 28. definit fidem pereunte caritate remanere, ac esse veram fidem; quod propriè loquendo verum non esset, si non maneret eadem; quia sic prior fides propriè non maneret, sed huic alia succederet.

Trident.

45 Ad primum argumentum Alensis positum num. 34. nego minorem intellectam in sensu

maioris, quæ agit de casu quo res intrinsecè & essentialiter perfectior succedit imperfectiori: quod hic non fit, nam fides formata non est intrinsecè perfectior informi. Adde, fidem formatam non superuenire siue succedere informi, cum eadem omnino prius & postea maneat.

Ad secundum, nego maiorem: nam idem corpus est viuum & mortuum, ut ostenditomo 1. de Sacram. q. 76. nu. 14. Adde, etsi ea, quæ viuunt physicè per formam sibi intrinsecam non manerent eadem viuæ & mortuæ, tamen hoc non haberet locum in præfati casu, quia caritas est forma extrinseca fidei.

CONCLUSIO IV. Habitus fidei etiam extra susceptionem baptismi sæpè homini infunditur ante caritatem: quoties scilicet quis ad fidem conuertitur per verum actum fidei supernaturalem, antequam sufficienter disponatur ad iustificationem: quod communiter fit in ijs qui adulti ad fidem conuertuntur. Ita Pesantius *Pesantius*, 2. 2. q. 4. a. 7. conclus. 3. Lorca *Lorca*, sect. 1. disp. 32. Turrian. *Turrian.* disp. 41. dub. 9. Valentia *Valentia* disp. 1. q. 6. puncto 2. Bañez *Bañez* qu. 6. a. 2. Caieran. *Caieran.* ibid. ubi eandem videtur expresse docere D. Thomas in respons. ad 3. Vbi aperte docet, fidem aliquando infundi ante caritatem: & quamuis in præcedentibus videatur loqui de actu; tamen videtur etiam loqui de habitu, quia hic propriè infunditur, non autem ille. Eandem docent Suarez *Suarez*, 3. p. tomo 3. disp. 28. sect. 3. & Vasquez *Vasquez*, 1. 2. disp. 203. num. 117. quam etiam fusè probaui supra disp. 6. dubio 4.

46

DISPUTATIO XVII.

De subiecto fidei, siue de ijs, quibus inest fides.

EX dictis satis constat, omnibus viatoribus post lapsum necessariam esse fidem, ut possint iustificari, aut in iustitia perseverare. sed est difficultas circa angelos viatores, Adamum in paradiso, damnatos, hæreticos, ac Beatos, & existentes in Purgatorio, an scilicet hi habeant fidem. Quam sequentibus dubijs explicabimus.

D V B I V M I.

Vtrum angeli in via, & Adam in paradiso habuerint fidem?

1 **P**rima opinio docet, in neutris fuisse fidem, sed utrosque habuisse cognitionem aliquam excellentiorem & mediam inter hanc & visionem beatificam. Hanc respectu Adami videtur secutus Magister in 2. d. 23. §. 4. Eidem videtur fauere Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. p. 5. c. 14. & p. 6. c. 14. Et ratio esse potest, quia fides habet cognitionem obscuram, qualem non decuit esse in illo statu, quem decebat habere intellectum ab omni obscuritate clarum. Sed

Magister.
Hugo Victorinus.

D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 1. benignè Hugonem interpretatur, quasi solùm voluerit eos habuisse clariorem cognitionem rerum diuinarum, quam nos habeamus, talem tamen quæ cum fide poterat consistere. Et valde verosimile est ipsam solùm voluisse eos habuisse claram rerum fidei reuelationem, quæ hæ fuerint ijs clara in attestante, siue cognitione à posteriore, prout dixi disp. 9. dub. 8. & disput. 11. dub. 1. & 2. ubi etiam ostendi, hanc cognitionem posse consistere cum fide.

Secunda opinio docet, saltem angelos in via non habuisse fidem. Hanc tamquam probabilem tenet Durandus in 3. d. 23. q. 9. a. 3. Quia angeli *Durand.* habuerunt euid. etiam rerum reuelatarum in attestante, & consequenter clarè cognouerunt eas esse veras; unde ulterius infert eos non habuisse earum fidem. Sed ad hoc argumentum satis responsum est disp. 11. dub. 1. Eandem opinionem videtur tenuisse Ludou. Viues in comment. in cap. 9. libr. 11. de Ciuit. ex alio tamen capite, quia videtur putasse angelos sanctos ab initio semper vidisse clarè Deum. Cuius etiam opinionis aliqui putant fuisse D. Augustinum *August.* 1. 4. de Genesi ad lit. cap. 22. ubi videtur docere, angelos

angelos statim initio vidisse omnes creaturas in Verbo, antequam eas viderent in se.

Sed certum omnino est D. Augustinum sensisse angelos bonos statim initio creationis sue non vidisse clarè Deum, nec perfectè, sed tantum inchoatè fuisse beatos; quatenus in felici valdè statu ita creati erant, vt facillè possent ad perfectam beatitudinem peruenire. Nam sæpè docet, eos potuisse cadere, & omnino liberè in bono perseverasse: atque ita in bono perseverantes perfectam beatitudinem fuisse promeritos. Imò sæpè insinuat angelos malos ante lapsum non habuisse minorem gratiam, quàm bonos; quamvis aliquibus locis de eo dubitet. Primo enim lib. de Correptione & gratia cap. 11. cum docuisset, angelo malo fuisse datum sufficiens adiutorium, quo posset perseverare in bono si vellet, subdit: *Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi: & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua ipsi certissimum sit semper se in illa mansuros.* Vbi aperte insinuat, initio utriusque angeli aequali fuisse conditionem, & vnum tam liberè perseverasse, quàm alter ceciderit, ideoque illum meruisse perfectam beatitudinem, à qua cadere non posset; & consequenter innuit angelum bonum initio non fuisse certum de sua perseverantia. Quæ nullo modo dici possent si angelus bonus initio vidisset intuitu Deum, quia tunc nullo modo cadere potuisset (quia clara Dei visio reddit hominem intrinsecè impeccabilem) nec potuisset suam beatitudinem mereri, quia iam eam habuisset, & fuisset non in via, sed in termino.

Item lib. 11. de Civitate cap. 13. cum docuisset, angelos bonos iam esse certos de æternitate suæ felicitatis, angelos verò malos nunquam potuisse esse certos se non lapsuros, vt prius membrum confirmet, subdit: *Aut si durum videtur quando facti sunt angeli, alios credere ita factos vt non acciperent præscientiam vel perseverantiam, vel casus sui; alios verò ita factos vt veritate certissima æternitatem suam beatitudinis nossent: sed æqualis felicitatis omnes ab initio creati sunt: & ita fuerunt, donec isti, qui nunc mali sunt, ab illo bonitatis lumine sua voluntate cecidissent: proculdubio multo est durius nunc putare angelos sanctos æternam suam beatitudinis incertos, &c.* Vbi aperte insinuat, esse saltem probabilius utrumque angelum initio fuisse æqualis beatitudinis, & æquè de sua perseverantia incertum, & contrarium dicere esse durum: etsi minùs durum sit, quàm dicere angelos beatos iam esse incertos de æternitate suæ beatitudinis.

Item 1. 12. cap. 9. tamquam probabile dicit utrumque angelum initio æqualiter in gratia creatum esse.

Quidam igitur putant D. Augustinum his locis reuocasse quæ in lib. 4. in Genes. supra citato docuerat: sed hoc non est probabile; quia lib. 11. de Civitate cap. 9. doctrinam ibi traditam videtur aperte approbare. Respondeo igitur, D.

Coninck de act. supernat.

Augustinum, dum docet, angelos initio creationis mundi vidisse prius res omnes in Verbo, quàm in seipsis, aut loqui de visione quam habuerunt postquam iam adepti sunt beatitudinem, antequam res aliæ crearentur; quod facillè fieri potuit, si breui valdè spatio fuerunt in via, vt valdè probabile est: vel eum loqui de cognitione, quàm angeli initio suæ creationis antequam res aliæ crearentur, eas in seipsis videre possent, à Deo acceperunt, per species sibi infusas, siue per cognitionem habitualement à Deo sibi infusam, qua res omnes, modumque quo à Deo procederent & penderent, clariùs cognouerunt, & Deum etiam in ipsis; quam ex earum reali existentia sibi obiecta eadem postea per se, siue seclusa illa Dei illustratione potuissent cognoscere; qua ratione etiam ipsum Adamum initio similem cognitionem, licet imperfectiorem, à Deo accepisse communiter omnes fatentur.

Dicit autem angelos eas omnes res vidisse in Verbo, quia eas cognouerunt per illuminationem & scientiam à Verbo, quod est sapientia Patris, acceptam. Vt autem D. Augustini mentem ita interpreter, moueor Primò, quia ipse D. Augustinus dicto cap. 22. aperte docet, angelos has cognitiones creaturarum non accepisse omnes simul, sed vnam post aliam cum aliquo intervallo, & ita distinguit sex dies creationis rerum, per sex intervalia, quibus eas angeli prius in Verbo, deinde in se viderunt; ea autem quæ Beati vident in Verbo, omnia simul vident, nec vnum post aliud. Secundò, quia ipse D. Augustinus lib. 11. de Civitate cap. 9. ita aperte seipsum explicat. vbi per illud Genes. 1. *Dixit Deus, Fiat lux, &c.* intelligit creationem angelorum, & hos dicit lucem & diem, ob participationem æterni luminis, quàm à Sapientia Dei, quæ est Dei Verbum, acceperunt. Deinde id probans, subiungit: *Lumen quippe verum, quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminat omnem angelum mundum, vt sit lux, non in seipso, sed in Deo: à quo si auertatur angelus fit immundus, sicut sunt omnes qui vocantur immundi spiritus, nec ita lux in Domino, sed in seipsis tenebra, priuati participatione lucis æternæ.* Vbi aperte ostendit, angelum dici diem & lucem, per illuminationem quam à Verbo habuit in via, & potuit amittere, sicut diabolus eam amisit. Agit autem aperte de illa illuminatione & luce, quàm dicto c. 22. in Genes. vocat cognitionem matutinam, siue cognitionem in Verbo, per quam singulorum dierum lucem siue manè intelligit fieri. Nec refert quod alijs locis per cognitionem matutinam intelligat veram cognitionem creaturarum in Verbo: quia alia ratione & secundum alium angelorum statum ibi loquitur, quàm locis iam citatis.

Est præterea difficultas, qualem siue cuius obiecti fidem angeli, & Adam initio habuerunt: Et quidem inter omnes constat, eos explicitè cognouisse omnia mysteria spectantia ad diuinitatem & beatitudinem; quæ nos credimus. Sed difficultas est, utrum habuerint explicitam fidem mysterij incarnationis.

Prima igitur opinio docet, tam angelum, quàm Adamum statim initio suæ creationis habuisse

D d fidei

6
Qua ratione
S. August. di-
cat angelos
prius omnia
vidisse in
Verbo, quàm
in se.

Genes. 1.

7
Quarum re-
rum fidem
angelus &
Adam in via
habuerint.

fidem explicitam incarnationis. Et hanc sententiam necessariò sequunturij omnes qui docent Christum fuisse incarnandum, etsi Adam non peccasset, & tam angelos, quam primum hominem omnem suam iustitiam accepisse ex meritis Christi: nam ex meritis Christi nemo iustificatur, nisi per fidem Christi, ut ostendi disp. 14. dub. 9. non videtur autem credibile eos solum implicitam fidem habuisse illius mysterij. Et hanc sententiam apertè docet Suarez in 3. p. to. 1. q. 1. in explicatione a. 3. §. *Secundò explicandum.*

Suarez.

9

Turrian.
Vasquez.

Secunda docet, Adamum initio suæ creationis non habuisse fidem incarnationis Christi; sed eam habuisse post somnum à Deo ei immisum, in quo ei Deus hoc mysterium reuelauit. Ita Turrian. 2. 2. disp. 27. dub. 1. Vasquez 3. p. to. 1. disp. 12. c. vlt. Priorem partem probant, quia Adam non accepit suam iustitiam ex meritis Christi; ergo nec ex fide Christi, quia nulla videtur ratio cur dicamus ei necessariam fuisse fidem Christi, nisi quia eius meritis debuit iustificari. Quare cum eadem ratio sit in angelis, qui secundum illos non fuerunt iustificati ex meritis Christi, idem secundum illos de his videtur dicendum.

10

Genes. 2.

Ephes. 5.

Secundam partem probant, quia illud quod dixit Adam Genes. 2. cum euigilans è somno vidit Euam, *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, &c.* Apostolus ad Ephes. 5. docet dictum de Christo & Ecclesia. Vnde multi Patres docent, tunc Adamum illis verbis prophetasse de incarnatione Christi, & Ecclesie ex eius latere formatione. Quare hæc debuerunt ei ibi fuisse reuelata. Negant tamen ij Auctores Adamo fuisse reuelatam passionem Christi, eundem venturum ut nos à peccato redimeret; quia sic debuisset ei reuelari futurus ipsius lapsus, quod non videtur probabile fuisse factum, hoc enim nimiam ei tristitiam iniecit.

11

Genes. 17.

Lefsius.

Tertia sententia docet, Adamo tunc non fuisse explicitè reuelatum mysterium incarnationis, sed tantum in figura, quatenus nimirum efformatio Eue ex latere ipsius dormientis fuit figura efformationis Ecclesie ex latere Christi mortui in cruce. Et illa verba quibus dicebat hominem relicto patre & matre adhæsurum uxori, significabant amorem Christi erga Ecclesiam, & unionem eius cum humana natura. Nam relicto celesti Patre descendit in terras accepturus humanam naturam, & relicta matre sua synagoga congregauit sibi Ecclesiam ex Gentibus. Hæc itaq; secundum eos Adam cognouit, & prophetauit in figura & mysticè. Sicut Iacob Genes. 17. regendo manus & colla hædinis pelibus, & dicendo se esse Esau, figura fuit Christi assumptis naturam humanam, & simul tanquam hædinus pelles nostra peccata, ut pro ijs satisfaceret Patri: atque ita ille hæc mysticè prophetauit, etsi tunc non satis intellexerit, quid suo illo facto significaretur. Ita Lefsius lib. de Prædest. Christi, sect. 2. nu. 26. quod varijs ibi rationibus probat; præcipua autem est, quia, ut pater ex ipsius facto, & Patres etiam docent, Adam ibi non tantum præfigurauit & prophetauit futuram incarnationem, sed etiam efformationem Ecclesie ex latere Christi, ac infidelitatem Lu-

daorum, ob quam erant deserendi. Quæ communiter omnes docent Adamum nullo modo explicitè cognouisse, quia debuisset aliàs præsciuisse suum lapsum. Cum igitur necessariò concedendum sit Adamum præcipuum significatū huius prophetie ac figuræ solū cognouisse valde implicitè in quodā ænigmate, omnino idem videtur dicendum de alio ipsius significato, scilicet de mysterio incarnationis; nec est magis absurdum concedere ei cognitionem & fidem ita implicitam circa vnā partem illius mysterij, quam circa aliam.

Pro resolutione suppono Primò, omnino esse certū, nec à Catholico negari posse Adamū habuisse aliqua dona supernaturalia ac auxilia, sine quibus non poterat facere opera vitæ æternæ meritoria, ac in bono perseverare; idemq; dicendum esse de angelis, ut ostēdi disp. 4. du. 3. hæc autē dona non fuisse solum actualia, sed etiā habitualia videtur omnino certum esse: nā alias nos perfectius iustificaremur quā illi, quia nos iustificamur per dona supernaturalia habitualia, atq; ita per veram iustitiam nobis inhaerentē & supernaturalē permanentē iusti sumus, illi autē solum fuissent iusti per dona trāsientia, aut per fauorē Dei extrinsecum, aut per extrinsecā denominationem, & ens morale relicta post actus bonos: quæ iustitia est lōgè imperfectior priorē.

CONCLVSIO I. Omnino dicendum est, Adamum in paradiso habuisse veram fidem tam actuale, quā habituale. Ita omnes Auctores supra citati, & Pelant. 2. 2. q. 5. a. 4. disp. 1. conclus. 3. Lorca disp. 29. n. 4. & D. Thom. q. 5. a. 1. & communiter cum eo Theologi.

Probatur Primò, ex D. August. lib. 14. de Ciuit. cap. 17. ubi ait, primos parentes post peccatum cognouisse se nudos, quia perdiderunt gratiam qua prius fiebat ne eorum nuditas ellet pudenda; & subdit: *Hoc itaque cognouerunt, quod felicitas ignorarent, si Deo credentes & obediētes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas & inobedientia quid nocerent.* Vbi apertè docet, eos debuisse Deo credere, & non credendo peccasse peccato infidelitatis, & ita gratiam fidei amisisse. Clarius S. Ambrosius lib. 5. epist. 33. de Ambr. Adamo ait: *Agnoscis te esse nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* Item S. Prosper ad excerpta Priser. Genuenſium in respons. ad 3. dub. ait: *Quid est autem, quod eidem naturæ (scilicet primorum parentum) solam fidem non vult esse præceptam, quam nisi amisisset (scilicet Adam, aut natura humana in Adam) ceteris omnibus bonis non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo, &c.* Vbi cum ille apertè doceat, Adamum fuisse obligatum credere, & non credendo fidem amisisse, apertè supponunt eum habuisse fidem habituale, quam amitteret, & qua prius poterat credere: & cum accusent eum præcisè in hoc puncto, quod non crediderit Deo dicenti eum moriturum si comederet ex ligno vetito, apertè supponunt eum in reliquis Deo credidisse.

Probatur Secundò, quia Apostolus ad Heb. 11. absolūtè & generatim dicit, impossibile esse sine fide placere Deo; & accedentem ad Deum debere credere hunc esse, ac merita remunerare: cum igitur Adam initio placuerit Deo,

Deo, & viator fuerit, atque ita ad eum debuerit accedere, necessarium dicendum est eum habuisse fidem: quia nulla est omnino ratio eum excipiendi à generali illa Apostoli regula.

Probatur Tertiò, quia Adam nullo modo poterat naturaliter cognoscere mysterium Trinitatis, futuram beatitudinem, & similia: cum igitur certum sit eum hæc cognovisse, debuit ea cognovisse vel clarè in se intruendo, vel ex revelatione divina. Prius dici nequit, quia sic non fuisset in via, sed beatus in patria, & omnino impeccabilis: ergo secundum dicendum est. Unde ulterius infero, ergo vel ea cognovit sola cognitione à posteriore, quatenus clarè videbat ea sibi revelari, indeque certò inferrebat ea esse vera, vel per veram fidem: prius dici nequit, quia sic habuisset solum cognitionem rerum fidei in sua substantia naturalem, & consequenter imperfectiorem nostram, & omnino improporionatam statui supernaturali, in quo tunc erat, & præmio quod ei merendum proponebatur: ergo secundum dicendum est, scilicet eum habuisse veram fidem.

15 Dices, eum potuisse habere cognitionem supernaturalem istorum mysteriorum evidentem, abstractivam tamen: quatenus nimirum lumine supernaturali illustratus clarè videbat ea sibi à Deo revelari, seque ea clariùs concipere, quam naturaliter ea posset concipere; atque ita eodem lumine clarè videbat ea necessariò debere esse vera; nulla enim potest reddi ratio, cur hoc fieri non poruerit.

Respondeo, etsi hoc non implicet fieri, gratia tamen omnino fingitur factum: imò hoc omnino est improbabile: quia sic nullo modo liberè, sed omnino necessariò fuisset assensus Deo ea sibi revelanti, & consequenter non potuisset ea credendo vlla ratione mereri. quod videtur omnino absurdum.

16 **CONCLUSIO II.** Videtur omnino certum etiam angelos habuisse veram fidem. Hanc etiam tenent Auctores citati prima concl. Probat, quia ipsi debuerunt etiam credere quædam quæ non poterant naturaliter cognoscere, & mysterium Trinitatis, & futuram beatitudinem: ergo per veram fidem ea crediderunt: quia, ut iam ostēdi, nulla alia cognitio eorum statuerat aptior, ut per eam possent ad beatitudinem merendo tendere. Item cum ipsi Deo placuerint, & ad eum debuerint accedere, necessaria ijs erat fides, ut patet ex Apost. ad Hebr. 11. Nec refert quòd ibi videatur loqui de solis hominibus, quia eius ratio etiam in angelos convenit.

17 Dices, Fides solum convenit ijs, qui peregrinantur à Domino, ut docet Apost. 2. ad Corint. 5. atque, ut docet D. August. lib. 11. de Civit. c. 9. angeli boni numquam sunt peregrinati à Domino: ergo non habuerunt fidem.

Respondeo, negando minorem ad sensum Apostoli: nam ipse ibi aperte docet, omnes peregrinari à Domino, & ambulare per fidem, qui non vident clarè Deum: atque nec Adam nec angelus in paradiso viderunt clarè Deum: ergo secundum Apostolum sunt peregrinati per fidem.

Et confirmatur, quia non fuerunt proprie Coninck de act. supernat.

in patria; nam alias fuissent in termino, & non in via: quod absolute falsum est; quia fuerunt veri viatores tendentes ad patriam: ergo fuerunt etiam peregrini: quia secundum Apostolum & rei veritatem omnes sunt peregrini, qui non sunt in patria, sed eam inquirunt, ut patet ex loco citato ex epist. ad Corint. & ex 11. ad Hebr. v. 13. & 14. Quare hæc utramque nostram conclusionem aperte confirmant.

Ad auctoritatē S. Augustini, Respondeo cū strictius ibi sumere nomen peregrini, quam Apostolus, solosque veros exules vocare peregrinos, siue eos solos, qui ob culpam è loco, in quo erant conditi, in hanc vallem miseriuntur, tamquam in exilium missi sunt: quales non fuerunt angeli boni, nec homines in paradiso.

19 **CONCLUSIO III.** Etsi longè verius sit Verbum numquam incarnandum fuisse, si Adam non peccasset; tamen hoc non obstante cum Deus prævisit ab æterno peccato Adami statuerit ut Verbum suo tempore carnem assumeret; potuit ipse hoc mysterium angelo, ac primo homini statim initio suæ creationis, aut etiam tempore illius somni, quem Adamo immisit, revelare, idque præcisè quatenus continebat Christum futurum verum Deum & hominem, & caput omnium Beatorum, celato mysterio passionis ac redemptionis. Nulla enim hæc potest ostendi implicantia, & potuit Deus id velle, ut Christus futurus statim ab illis honoraretur. Verum autem Deus hoc de facto ita fecerit, non potest nobis certò constare. Et quamvis rationes quas pro se adferunt Auctores tertiæ sententiæ allate n. 11. sint valde probabiles, tamen non ita convincent, quin tam prima quam secunda sententia possint etiam probabiliter defendi: etsi seculi Doctorum auctoritate minùs firmitantur fundamento.

D V B I V M II.

Virum demones, alijs, damnati habeant veram fidem?

Magister in 3. d. 23. §. 4. videtur in demonibus agnoscere fidem similem ei, quam habent mali Christiani. Item Durand. ibid. q. 9. docet, damnatos, qui habuerunt fidem in via, habere eandem etiam in inferno: atque etiam demones eam habere, si eam habuerint in via; an verò eam in via habuerint ipse dubitat.

Probatur Primò, quia nec eam amiserunt ratione infidelitatis, quia non omnes hoc peccato peccarunt: nec ratione status, quia hic nullam habet cum fide repugnantiam. Secundò, quia fides videtur relinquenda in fidelibus in peccato morientibus, ut hac ratione distinguantur ab infidelibus. Tertiò, quia S. Iacob. 2. cap. 2. ex eo quòd demones habeant fidem, & tamen ijs non profit ad salutem, probat etiam nobis fidem sine caritate & operibus non prodesse ad salutem: ergo sentit demones habere veram fidem similem ei quam peccatores habent, alias eius argumentum esset nullum: nam ex eo quòd fides improprie dicta non profit demonibus sine caritate, non sequitur quòd fides proprie dicta

D d 2

18
S. Augustinus aliter accipit peregrinari, quàm Apostolus.

19

20
Magister.
Durand.

Iacob. 2.